



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

Grégoire, Pierre

Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.

VD16 VD16 G 2999

23 de quibusdam speciebus aliis homicidiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

- 13 In Flandria non est confiscatio bonorum, nisi in grauissimis quinque criminibus: inter quae annumerantur sui ipsius parricidium, cum crimine laesae maiestatis, haeresi, seditione, fuga ex acie in Turcas, *Butelerius in Summa rurali*, prodicione patroni ligii. Supra modum certe crudeles si videntur, qui sibi non parcunt, aut mortem sibi parant contra naturalem viuendi desiderium, & studium commune etiam brutis, qui omni nixu & impetu eam propulsare conantur. Et natura homines omnes *Philosophus* genuit ut etiam capularibus senibus, quibus viuere mors est, quique saepe ob grauiorem aetatem mortem optant, cum necessitas moriendi vrget summo opere durum sit lucem hanc relinquere, ut ex *Aesopico apologo* senis constat, qui cum tadio vitae & laborum, mortem venisse inuocatam vidisset, rogabat, ne sibi vim faceret, sed potius ad lignorum onus refumendum adiutaret. *Ceterum*, cum iam probatum fuerit, non licere sibi mortem inferre, impune etiam non ferret, qui volenti occidere sese opem tulit, vel volentem & postulantem occidit. Erat *David* iuste iussit necari *Amalechitem*, qui volentem *Saulem* adhuc spirantem interemit, 2. *Reg. c. 1.* *Impiaque* & abominanda est lex *Sardoa*, ut filii patres sentio confectos sustibus caederent, & interemptos sepelirent: absurdum arbitantes, si delirus senex ulterius viueret, *Alia*, de hac lege, *lib. 4. var. hist. c. 1.*

De quibusdam speciebus aliis homicidiorum. Cap. 23.

- 1 Vita & mors hominis anima, & corporis qua.
- 2 Homicidium directum, vel per indirectum quando committitur.
- 3 Anima mors qua. Et iuramentum deferens ei, quem scit peieraturum, suam & illius occidere videtur animam: ut & qui proximo detrahit, & eum odio habet.

Quia vita non tantum corporis, sed etiam, ea quae praecipua, anima est, quae immortalis, & qua corpus viuificatur: ita alia mors corporis, nempe separatio animae, ab eo: alia mors animae, non quod anima, quod ad suam essentiam pertinet, intereat, cum ea sit immortalis: sed quia gratia Dei, quae vera est vita, quae ad actiones veras anima viuificatur, priuatur. Ut proprio libro de immortalitate animae, in primo, de cernis. *Sic* & homicidium corporis, vel directum, vel per indirectum fit: directum, quando caede, vel violenter alio modo, quis alii, vel sibi ipsi mortem infert. Per obliquum autem necat quis alium, quando occasiones moriendi dat, vel ea quae ad vitam necessitatem pertinent, subtrahit, vel admittit: ut necare videtur is, qui alimenta denegat, *l. necare, de lib. agnos. in P.* Et reus homicidii is, qui cum pœllit, fame morientibus & egenis non subuenit, *c. pascere, 80 dist. ca. decima, 16. q. 1.* Qui res episcopi, vel ecclesiae rapit, homicida iudeo cœletur, *c. qui Christi, & c. qui abstulerit, 12. q. 2.* Quia bona ecclesiae, bona sunt pauperum, *c. aurum habet ecclesia, 12. q. 2.* & famem patientium. Differentia homicidii huius in summa plures: nam animus, causa, occasio, consilium, culpa, necessitas, casus, personae, ministerium, officium, variant, *c. cum homo ab homine, 23. q. 5.* *Inter* & homicidia animae, censetur negare poenitentiam morienti, *ca. cognouimus, 16. q. 6.* ad peierandum scienter aliquem compellere: atque qui defert iuramentum, suam animam occidit, & eius quem scit peieraturum pariter, *c. ille, 22. q. 5.* qui alii detrahit qui alium occidit, suae animae homicida iudicatur, *c. homicidiorum, de poenit. dist. 1.* qui odit fratrem suum, homicida est, *l. D. Ioan. epist. c. 3.* Poena huius homicidii: Omnis homicida non habet vitam in se manentem, *D. Ioan. 1. epist. c. 3.*

De parricidio. Cap. 24.

Lib. 4. P. tit. 9. Lib. 9. C. tit. 17. Lib. 5. Decret. tit. 10.

- 1 Parricidium triplici lege punitur.
- 2 Pompeia lex de parricidio, quae, & eius poena. & 3.
- 3 Capitis poena quae, & quomodo differat a capitali.
- 4 Parricidarum, more maiorum, poena, culeus, & c. Et 7. 8. 9. 10. & 11.
- 5 Matriscida. Et 17.
- 6 Patri inferre iniuriam, habet delictum simile offensionis Dei, secundum quod, grauius, quam in alios eo, & 28.
- 11 Parentes diligere, natura lex: conseruare, necare, & necantes diligere.
- 13 Filius legitimus secundum Persas nunquam occidit patrem.
- 14 Parricida poena secundum legem Platonis.
- 15 Parricidium in brutis natura ratione punit.
- 16 Parricida lege Graeca coburendus, igne & aqua interdicens, & 18.

- 19 Parentes occidere, etiam in fide de causa furor, & manes commouet, & 20.
- 21 Parricidis poenam locum habeat, si quis filios, aut descendentes occiderit.
- 22 Parricidium amor naturalis, & brutorum etiam.
- 23 Parricidii Solon cum nullas leges constituerit, eo.
- 24 Parricidarum in foro penitenti poena, & 24.
- 25 Parricidia excusantur aliquando quoad poenam, ut furor & alio modo, & 28.
- 26 Cum nouerca adulterantem filium pater occidens mitius punitur, & 26.
- 27 Iudicia ambigua, in quibus indices non habuerunt quid dicerent, & 28.
- 28 Parricidium parricidio non vindicandum, eod.
- 29 Derbices, & Massagetae seipos deuorabant.
- 30 Parricidarum poena ex legibus Hispaniae, Mediolanensi, & Gallicis.

Alia species homicidii, sed quod seuerius puniatur, parricidium est: quod tripliciter, ut apparebit ex personatum, & proximitatis distinctione, punitur. *Cornelia de ficiatis*, quae & hoc habebat caput de parricidiis, *l. fin. ad leg. Corn. de ficiatis, lib. 9. C. Theod. tit. 19.* Pompeia de parricidiis, & more maiorum. *Illius Romuli proprium*, inquit *Plutarchus in vita Romuli*, quod in nullam poenam parricide definit: homicidium omne, parricidium nuncupari voluit: quod hoc impium ac nefarium, illud autem impossibile duceret. *Neg*, qui quam Roma annis sexcentis post, tale scelus perpetravit, sed post *Hannibalis bellum*, *Lucius Ostius* ferit patrem occidisse. *Ut* & parricidas plecti lex Pompeia, *Marcell. l. 1. Martia. l. 3. & 4. ad leg. Pomp. de parricid.* qui patrem, matrem, auum, auiam, nepotem, neptem, fratrem, sororem, patrualem, matrem, patruum, auunculum, amitam, materteram, consobrinum, consobrinam, vxorem, vitrum, generum, secerum, vitricum, priuigium, priuigium, patronum, patronam occiderit: cuiusve dolo malofactum erit, quive emerit venenum, ut patri daret, legis tamen *Corneliae de ficiatis* poenam imponi tradit *Marcellus, l. 1. hoc titu. § Et* & *Scæuola* quocumque fratrem, qui cognouerit tantum fratrem esse venenum ut porrigeret patri, nec indicauerat, telegatam esse, & medicum supplicio affectum fuisse restatur, *Sen. l. 2. eod. in scium* tamen fuisse parricidii exitimandum est, alioquin etiam patri poena cum parricida conficiis puniendus est, *l. ipia. in l. utrum, 6. & l. si sciens, 7. eod.* Modestinus autem in *l. poena parricidii, 9. ad legem Pomp. de parricid.* distinguit, in poenam imponenda inter has personas: nam eos, qui patrem aut matrem, auum aut auiam occiderint, in ore maiorum poena seueriori puniendos tradit: qui autem parricidium in alias personas admiserint, capitis poena, aut vltimo supplicio. *Capitis* poenam arbitrantur aliqui, *Accursus in d. l. poena*, per quam ciuitatem amittat parricida, qualem deportationem in insulam, qua *Martianus* scribit *Adrianum* affecti patrem quandam, qui filium necauerat adulterantem cum nouerca: quod patria potestas non debeat in atrocitate, sed in pietate consistere. Probo quocumque hic capitis poenam mortem non habere, quamvis capitalis poena mortem habeat: & relegatio ad tempus, vel in perpetuum, vel in insulam, non habeat capitis periculum, ut ait *Callistratus l. capitalium, de poen. P.* Suadet autem hic capitis poenam non esse mortem, quia *Modestinus* ait *d. l. poena parricidii, ad leg. Pomp. de parricid.* poenam esse capitis, aut vltimum supplicium: & capitis in iudicio minor, ad deportationem pertineat, *l. 1. de cap. dimin. apud Iustin. l. fin. eod. titu. l. P.* Verum postquam dixit *Modestinus*, ex more maiorum adhuc plecti seueriori poenam, quam ficiatorum, qui parentes ascendentes occiderint, poenam explicat maiorum, *l. poena parricidii*, ut parricida virgis sanguineis verberatus, culeo infatur cum cane, gallo galliuaeco, & vipera, deinde in mare profundum culeus iactetur, si mare proximum sit, alioquin bestis subiciatur, secundum *Adriani* constitutionem, quam probauerunt *Constantinus, l. 1. de his qui parent. vel lib. occiderunt, C. l. vnic. de parricid. lib. 9. C. Theod. titu. 15.* & *Iustinianus* consules, in *l. alia, de public. iudic. apud Iustinianum*. Meminit *Cicero pro Roscio Amerino, l. 1. ad Herennium, ca. 5.* explicat *Cælius Rhodiginus lib. 11. cap. 21.* & *Theophilus lib. 4. Iust. in iur. ciuil. tit. 18. § est lex Pompeia*. Et nos in nostris optimi Iuriconsul. praeludii *lib. 2. ca. 40.* honorem debitum parentibus, ex quo grauius hoc sit scelus, tractamus. Alludit ad hanc poenam *Iuuen. Sat. 31.* referens insigniora crimina,

Conser, inquit, & artifices, mercatorem, veneni,

Et de.